



C. 14<sup>a</sup>

Uyan  
a. 1. 74




*B...*

*Algart*

1070





8/3990

CASSII PAR-  
menfis,


POETÆ INTER EPI-  
*cos veteres eximij,*

ORPHÆVS.

ET IN EVM

NATHANIS CHYTRÆI


COMMENTARIOLVM, AD  
informandos studiosæ iuuentutis  
mores vtilissimum.



FRANCOFVRDI  
*Apud Joannem Wechelum,*

MDLXXV.

2





NOBILI CLA-  
RIS SIMO QVE VIRO,  
VIRTUTE, DOCTRINA ET  
dignitate eximio, D. CHRISTIANO DI-  
STELMEIERO, inclyti Electoris Brande-  
burgici consiliario prudentissimo, domi-  
no & patrono suo obseruando,  
S P D.



*M*NIA nunc dum turbat Eris,  
Charis exulat. ecquid  
Non rectè faciunt, hanc qui reuo-  
care, sed illam

*Exstirpare student, quantum cuiusq; facultas  
Officiūq; sinunt? hos ergo vel optimus inter  
Et princeps nunc Monacides florentis ocellus  
Ille Bratislaë est, sincerus amicus amicis;  
Me sibi qui visum nunquam licet, omnibus ultro  
Non solum officijs cumulāt; verum insuper, eius  
Quæ bonitas, plures mihi conciliare patronos  
Quotidie sat agit, mentisq; fidelis amicos.*

*A 2*

*In quibus ipse tuum quoque nomen amabile, Christi  
 Nomine deductum, profiteri ultro neus audes,  
 O clari soboles clarissima patris, & aula  
 Marchiadum sidus fulgens, casta quoque Minerva  
 Suadeatque decus roseum. quas dicere grates  
 Ergo tibi institutam? studij quae signa rependam  
 Mutua? nil equidem in promptu est hoc tempore; forsitan  
 Hic Cassi nisi Parmensis magnae indolis Orpheus  
 Non tibi displiceat, multis abscondita cuius  
 Hac reserare opera placuit velut intima sensa;  
 Si modo fas reserare fuit. Tu equique bonique  
 Consule parua tui, maior patrone, Chytræi  
 Munera, eumque tui studiosum crede clientem.*

D. T.

observantiss.

Nathan Chytræus.

CASSII



5

CASSII PARMENSIS  
ORPHEVS.



ARGVTA primum cum plectra  
parentis, & auro  
Distinctam sumsit citharam Rho-  
dopæius heros,

Ridebant segnes pulsus, digitosq; micantes  
Serius, & chordis indocta dissona vocis.  
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honesti,  
Lusibus auertit puerilibus; omnis & illuc  
Perditus incumbens, Musæpallebat amore.  
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis  
Cantibus: hinc illinc discens dependet utrinq;  
Nulla Venus faciem cæpit mentita dolosis  
Compedibus: somni fuerat, parcusq; Lyæi:  
Donec, ridiculus dudum, modulamine syluas,  
Euulsosq; suis scopulos radicibus egit:  
Ausus & ire viam mortalibus inconcessam,  
Pœnarum oblitos demulsit carmine manes.

Non leuis adscensus, si quis petit ardua: sudor   “  
Plurimus hunc tollit: nocturno exsomnia oliuo   “  
Immoritur: delet, quod mox ludauerat in se,   “  
Qui cupit æterna donari frondis honore.   “

F I N I S.

A 3

DE AVCTORE HUIUS  
*fragmenti Cassio Parmensi.*

QVOD ad auctorem huius fragmenti at-  
 tinet, creditur is idem ille esse, cuius Ho-  
 ratius, in suis, quæ adhuc reliqua sunt, operib.  
 bis mentionem facit. Primo Sat. x lib. i, v. 62:  
*Non secus ac si quis pedibus quid claudere senis,  
 Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos  
 Ante cibum versus, totidem cœnatus; Etrusci  
 Quale fuit Cassi rapido seruentius amni  
 Ingenium: capsis quem fama est esse librisq;  
 Ambustum proprijs.* Quæ si vera sunt, apparet  
 in Cassio isto Parmensi fuisse ingeniū extēpo-  
 rale, & luxurians, quod impetū sequeretur, &  
 sine lima accuratiore, quæ in mentem venif-  
 sent, subito effunderet, & diuulgaret; etiam si,  
 instar fluminis feruentis & rapidi, vnâ secum  
 multas fordes, hoc est carmina non satis e-  
 mendata & elaborata, traheret.

Deinde quæ funeris & exsequiarum ipsius  
 ratio fuerit, ex iisdem patet: nimirum tot eum  
 libros scripsisse, vt ex ijs, eorumq; capsis &  
 scrinijs, etiam nulla alia materia adhibita, au-  
 ctori rogi construi potuerit feralis. Atq; ita  
 non absurdè aliquis coniecero, non ita ma-  
 gno in pretio, vt ferè fit, sua ætate hunc poë-  
 tam,

tam, quantumuis aliàs excellentē, fuisse: & illum ipsum rogum, vt ita vocem, librarium, in caussa esse potuisse, quo minus plures tanti ingenij fœtus, ad nostrā vsq; ætatē transferrentur. Quamuis de exitu Cassij Parmēsis longè alia narratio extet apud Valerium Max. lib. i. cap. v i i, his verbis: *Apud Actium, M. Antonij fractis opibus, Cassius Parmensis, qui partes eius secutus fuerat, Athenas confugit. ubi cōcubia nocte, cum solitudinibus & curis mente sopita, in lectulo iaceret, existimauit ad se venire hominē ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidū barba, & capillo demisso. Interrogatumq; quisnam esset; respondisse; κακοδαιμονα. perterritus deinde tam tetro visu, & nomine horrendo, seruos in clamauit, sciscitatusq; est, si quē talis habitus, aut intrantem cubiculū, aut exeuntē vidissent. quibus affirmantibus, neminē illuc accessisse; iterū quieti & somno se dedit, atq; eadē animo eius obuersata est species. Itaq; fugato somno, lumē intro ferri iussit, puerosq; à se discedere vetuit. Inter hanc noctem, & supplicium capitis, quo eū Cesar affecit, paruulū admodum tēpus intercessit.* Hæc inquā Valerij narratio, ab Horatiana illa plurimū discrepare videtur, nisi quis Valeriana hæc de morte Cassij; Horatiana vero de exsequijs eiusdē velit intelligere. Quod ipsum iudicio eruditorū relinquo.

Secundo autem eiusdem Cassij mentionē facit Horatius libro I, Epist. IV, ad Albium Tibullum, versu tertio:

*Albi nostrorum sermonum candide iudex,  
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?  
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat.*

Quò ex loco elici potest, non omnino postremi nominis opuscula Cassij huius, maximè inter eruditos & intelligentes fuisse. Alij hæc quoq; de Cassio Parmensi referunt, eum in castris Bruti & Cassij tribunum militū fuisse, ijsq; ab Octauiano, qui postea Augustus dictus est, victis, Athenas se contulisse, vt studijs vltius incumberet. ibiq; eum iussu Augusti, inter libros & scrinia interfectum esse. Nec defuerunt, qui Thyesten tragœdiam ea ætate celebrem ad hunc auctorem referrent. Epistola quoq; eiusdem ad M. Antonium citatur à Plinio lib. XXXI, cap. II, *Cydnus Ciliciæ, inquit, amnis, podagricis medetur; sicut apparet in Epistola Cassij Parmensis ad M. Antonium.*

*De Parma.*

QVod ad patriam huius Cassij Parmam attinet, neminem mouere debet, quod Horatius eundem Etruscum appellet. Sunt enim vrbes illæ Galliæ Cisalpinæ, siue etiam Liguriæ.

P A R M A.

Liguria Cispadanæ, Mutina, Placentia, Regium Lepidi, ipsi Etruriæ quodammodo finitimæ. Est autem Parma nomen fluuij & ciuitatis simul. Fluuius urbem ab arce diuidit, strato super eum ponte lapideo. Vrbs ipsa colonia est populi Romani, teste Liuiio Decad. 3 lib. 9. *Eodem (inquit) anno Mutina & Parma colonie Romanorum ciuium sunt deductæ.* Nomen hoc accepisse eam nonnulli putant à forma scuti seu parmæ. Sicuti verò olim, ita nostra quoq; ætate, regio illa gregibus, pascuis, lacticinij & velleribus vberrima est; quæ etiam alicubi celebrat Martialis, cum ait,

*Tondet & innumeros Gallica Parma greges.*

Item, *Velleribus primis Apulia, Parma secundis,  
Nobilis Altinum tertia laudat ouis.*

Sunt & hodie per totam Italiam & alibi, propter bonitatem suam in delitijs casei Parmenses & Placentini, quos communi appellatione *Parmegianos* vulgo vocant.

*De Orpheo.*

QVOD ad inscriptionem huius fragmenti attinet, apparet hanc illius causam esse, quod omnes eius versus in Orphei *φιλοπονία* & continentia deprecanda consumantur, atq; ideo eius nomen titulum quoque huic

opusculo præbere merito debuisse. Ad Orpheum verò ipsum quod attinet, etiamsi Cicero libro primo de natura Deorum ex opinione Aristotelis cõfirmare conetur, Orpheum poëtam nunquã fuisse, & Orphici carminis Cercopem quendam Pythagoricum auctorem memoret: tamen maior & potior nobis videri debet veterum philosophorum, historicorum, & poëtarum auctoritas. Facit enim Orphei mentionẽ Plato, cum alibi, tum in x de Republ. vbi anima Orphei, ad superos reditura, odio sexus muliebris, è quo nasci nollet, vitam cygni sibi deligit, sicut Thamyris luscinia. Faciunt eiusdem mentionem Apollodorus lib. i, Diodorus Siculus lib. iii, & alibi: item Virg. 4 Georg. & Ouidius x Metamorph. &c. In Bœoticis quoq; Pausania nonnulla, inter alia complura, recitantur, quæ ingenuis adolescentibus auditu non iniucunda fore arbitror. ea igitur paucis indico, & plura de Orphea legere volẽtem ad eundem Pausaniam remitto. Is igitur libro iam indicato confirmat, Orpheum sua quidem opinione carminis concinnitate omnes qui ante ipsum fuerunt, longo interuallo superasse. Ibidemq; paulò post ex Thracum sermone addit, luscinias quæ circa Orphei sepulchrum  
nidos

A R G V M E N T V M

nidos habeant, suauiores quam cæteras, & vocaliores cantus edere. Præterea de amne Helicone eodem loco narratur, eum xx stadiorum spacio infra terram abditum se occultare, & inde se denuo ostendere, & nauigabilem in mare influere. Ab eo verò primum tempore, quo mulieres illæ, quæ Orpheum occiderant sanguinem abluere conatæ sunt, terram subijisse, ne pollutis ea cæde fœminis ad expiandum scelus aquas præberet suas. Hætenus Pausanias, cuius sententiam ipsis ferè Amasæi verbis vobis exponere placuit.

DE FRAGMENTO IPSO.

HOC ipsum verò Fragmentum nostra ætate primo inuentum aiunt in Bibliotheca Florentina. Et quidem Achillem Statium Lusitanum primum illud publicum fecisse, additum fini commentariorum suorum in librum Suetonij de Rhetoribus, Lutetiæ à Morrello excusis, testatur Iosias Simlerus in compendio Bibliothecæ Gesneri.

A R G V M E N T V M.

VOLVIT autē Cassius Parmæsis versibus hisce, tanquã penicillo ingenij & facun-

diæ suæ, exprimere imaginem & exemplar generosæ, & ad doctrinæ & eloquentiæ excellentiam contendentis naturæ. Cuius primo indicia & signa non obscurè indicat: deinde quibus adiumentis potissimum egeat: quid præterea in flore ætatis à pueris & adolescentibus ingenuis fieri, quid denique caueri ab iisdem cum primis oporteat, exemplo Orphei adhuc adolescentuli indicat.

*γνωρίσματα seu indicia  
bonæ indolis.*

**A**D indolis bonæ indicia quod attinet, primo mentionem facit parentum minime vulgarium, sed in Deorum numerum relatorum; ut eo ipso indicet, non parum ad bonam indolem conferre, si quis eximijs, & quidem utrinque, parentibus sit prognatus. Plerumque enim *εὐγενής* qui est, operam quoque adhibet diligentiozem, ut reuera quoque esse & dici possit *γενναῖος*. Et si non in vniuersum vera, saltem verisimilia sunt illa ex Alcmaëone Euripidis à Stobæo annotata:

*ἔσθλων ἀπ' ἀνδρῶν ἔσθλα γίγνεσθαι τέκνα·  
κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τῇ τοῦ πατρὸς.*

Secundo tribuit puero Orpheo *φαιδρότητα* seu alacritatem quandam, & ad rem aliquam



quam pulchram & honestam, ad quam natura factus videretur, prolubium, siue *αεθυμίας* naturalem: qua ipsa impulsus, & à stupida illa & iacente segnitie prorsus alienus, citharam matris potius, quam alias ineptias, vltro arriperet, & pro captu ætatis suæ tractaret.

Hæc Hesiodo est *εὐθυμοσύνη γὰρ ἀρίστη*  
*Θνητοῖς ἀνθρώποις κακοθυμοσύνη δὲ κακίστη.* Et  
 ex sententia prouerbij, *ἔρας διδάσκει μουσικήν.*  
 quod Teutones his rhythmis efferunt: *Lust*  
*vñ Lieb zum Ding! Macht alle Mühe gering.*

Tertio *αἰχύνης* seu pudoris, & quidem exardescentis, meminit. Excitat enim verecundia seu pudor in animo huius ætatis sensum quendam turpitudinis, siue dedecoris; vt quasi testimonium sit sanæ mentis, & sinceri iudicij, de honestis & turpibus: id quod erubescencia quoque, quam ideo colorem virtutis Diogenes nominabat, patefacit & declarat; maximè si quid contra quã oportebat, commissum est. Quocirca rectè Plato in v de Legibus monet: *παισὶν δὲ αἰδῶ γρη πολλήν, οὐ γρυσὸν καταλείπειν.* Et ibid. *πᾶς ὅτ' ὅτι γῆς καὶ ὑπὸ γῆς γρυσὸς, ἀρετῆς οὐκ ἀντάξιός.* Quod ipsum de pudore loquens Theognis hoc versu affirmat, *Οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσει ἀμείνω.* Sicut ex aduerso, de Plauti & Valerij

Flacci testimonio, perijsse putandus est, cui  
*nō reuocabilis unquam Cessit ab ore pudor.* Cū  
autē vix quisquam de vi & natura laudabilis  
huius in iuuenili ætate affectionis plenius &  
elegantius scripserit, quam Iac. Sadoletus in  
libello de liberis rectè instituendis, nō inutile  
fuerit, eius potius verba, sanè nitidissima, hic  
subijcere, quam modo loquēdi longè incon-  
cinniore de re eadem balbutire. Sic igitur in-  
ter alia Sadoletus: *Formandus itaq; parentum  
præceptis & diligentia est puer, ut honorē senibus  
& maioribus natu habere cōdiscat, habeatq; eos pe-  
nè in parentum loco: proficit enim ista observatio  
cultusq; maiorū ad omnē vitæ modestiā adolescen-  
tibus plurimū, quod & pudorem in animis eorum  
ingenerat, & multos illis actorum dictorumq; suo-  
rum constituit testes, ut nullam in partem ipsi au-  
deant extra honestum & rectum se commouere.*  
Dum enim quos verentur & colunt, eorum mā-  
gisteriū (ut ita loquar,) & malam de se reformidāt  
opinionē; difficilem habent magis rationē peccan-  
di, deprehensiq; erubescunt: vnde à verendo dicta  
est *verecundia*, quæ est actus ipse pudendi, in vultu  
peccatū pingens, & liberalem ferēs criminis com-  
missi multā, vadē boni ingenij tamen, & expecta-  
te in puero virtutis; ut sanè appositè videatur di-  
ctū. Erubuit, salua est. Nam pudor ipse habitus est  
cauendi

cauendi & prouidēdi, ne quid tale contingat, ut sit erubescendum: omni quidem etati congruens, sed ornamentū precipuū adoleſcētiae. quē si amotorem flagitiorū, & propugnaculū continentiae virtutisq; dixerimus, haud sanè falso eū appellauerimus nomine. De qua suaserim equidem parētibus, quibus nostra nō leuis futura est autoritas, ut hāc pudoris stirpem in ingenuis animis à natura insitam ipsi omni ope fouere ac ppagare in liberis nō postmittāt, fructus ex ea vberes suorū laborū percepturi. Quāuis enim nō sit pudor idē planè quod virtus, firmamentū est tamē precipuū virtutis: malae enim de se opinionis atq; infamiae est timor; in quo seuera est, & diligēs virtutis custodia. Itaq; qui pudorē diuinū timorē esse dixerunt, huius vim affectionis melius denotasse sunt visi. Solus. n. pertimescit ne id amittatur à nobis, quod vnum obtinemus honore ac dignitate propemodū diuinum, decus atq; honestatē videlicet. Ac ceteros mortis ac periculorum pauores, metus, formidines, qui animos abijciūt ac prope exterminant, cum plerunq; vanos atq; inutiles, tū semper turpes esse merito existimam. quorū etiā species ipsa indecora & illiberalis sit: nā & lurido pallore os, & tremorib. Membra concutiunt, atq; deformāt; quod accidit animo refugiēte ad arcem vitae, quae in corde est, & omnia illuc subsidia vndiq; aduocante: ut quasi deseruisse exteriorem, mœnium ambitum, & cessisse hosti loco videatur.

*Pudor vero occurrit foras: extra enim est periculum, ab opinione scilicet, atq; oculis; & ruborem in vultu, tanquam personam ad peccatum opponens, se celatum cupit; in quo ipse sese indicat, nec tamen magis deliquisse sese, quam in animo angere quod deliquerit, ostendit: idq; ita venuste facit, ut cum videatur fateri peccatum suum; in eo ipse deceat, in quo fatetur.* Hæc Sadoletus. A quibus non alienum est quod Plutarchus in adolescentibus requirit; Ut nimirum habeant in animo temperantiam seu continentiam: in lingua silentium: in vultu pudorem.

Quarto ex ipsa dedecoris aut neglecti officij conscientia, nascitur in animis generosis φιλοτιμία, seu ardor, & vehemens quædam cupiditas maculam illam priorem novis virtutibus abolendi & actionibus gloriosis compensandi. atque ideo seipsum quasi versu illo Horatiano exstimulans, *Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est.* Et de hoc ipso affectu loquitur Virgilius in v *Æneid.* *Tum pudor incendit vires & conscia virtus.* Et Quintilianus de eodem sic inter alia scribit: *Proderit alicuius obiurgata desidia: proderit laudata industria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse maiores. Accendant omnia hæc animos, & licet ipsa vitium*

*tium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.*

Quinto cum lusu quoque puerilium meminert Cassius, videtur hoc ipsum alacritatis indicium suo Orpheo voluisse tribuere. Neque enim improbari potest illud Quintilianii lib. 1, cap. 3: Nec me offenderit lusus in pueris: est & hoc signum alacritatis: neque illum tristem, semperque demissum, sperare possum erectæ circa studia mentis fore, cum in hoc quoque maximè naturali ætatibus illis impetu, iaceat: sicuti neque priora illa bonæ indolis indicia cum iudicio Quintilianii discrepant: præsertim cum eodem in capite inter alia hæc verba ponit: *Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat: hic erit alēdus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hūc honor excitabit, in hoc desidiā nunquā verebor.* Et hæc quidem de signis bonæ indolis.

*σωεργά, seu adiumenta quibus bona indoles magnopere indiget.*

**H**Oc ipsum, quamvis non disertè & expressè; tamen obliquè innuere voluisse videtur Cassius. Primo enim dum Orpheo

B

præceptores constituit ipsum Apollinem & Calliopen, tacitè simul indicat, præclara ingenia non quibuslibet magistris committenda, sed omnium, quam haberi possint, optimis & præstantissimis; inq; eo nullis suntib. aut laboribus parcendum esse. Quomodo enim virtutibus, honestis moribus & doctrinis informare is poterit puerum ingenuũ, qui ipse ijs destituitur? *Quodq; parum novit nemo docere potest.* Rectè igitur Quintilian. lib. I cap. I: *De pædagogis* (inquit) *hoc amplius, ut aut sint eruditi plane; quam primam curam esse velim: aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim peius est ijs, qui paullum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionẽ induerũt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut iure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atq; interim sævientes, stultitiã suam perdocent: cum tamẽ (vt idẽ paulò post loquitur) in ætatem infirmam, & iniuriæ obnoxiam nemini debeat nimium licere. Et quidem quod ad mores pædagogorum attinet, non minus eorum errores puerorum moribus nocere ibidem confirmat exemplo magni illius Alexandri, quem puerũ a Leonide pædagogo quibusdam vicijs imbutum ait, quæ eum postea robustum quoq; & iam maximum*

maximum regem, ab illa institutione puerili sunt profecuta.

Secūdo eorundē mentione haud obscure indicat, optabile, & præclaræ institutioni valde accōmodatum, si parentes ipsi sint quam eruditissimi, & ipsi rationē doctrinæ & informationis puerilis exactè intelligāt, atq; ita nō omnia venali pædagogorum operæ permittere, & ipsorum sermonibus tanquā cæci de colorib. disputantibus fidem habere cogantur. Quod ipsum Quintilianus loco iam indicato asserit, cū ait: *In parentibus ( & quidem, si fieri possit, utrisq; ) quamplurimum esse eruditionis optauerim.*

Tertio indidem colligimus, plurimum bonam indolem adiuuari, si inter docentem & discentem mutua quædam sit & suavis animorū propētio, ita vt magister in discipulum paternum; discipulus in magistrum planè filialē induat affectum. qualis hic inter Orphea ipsiusq; parentes fuisse vero simile est. Vbi enim pro huiusmodi affectu ὀλιγωρία, κατὰ φρόνησις, & odium mutuuum regnat, ibi frustra vtrinq; laborari minimè est dubitandū. Neq; enim ea qua par est fidelitate docere potest præceptor eum discipulū, à quo se scit contemni, aut odio aut ludibrio haberi. Neq; disci-

pulus ea qua oportebat intētionē præceptori auscultat & obtemperat, quem ipse in animo suo aspernatur & odit, deq; eo nō optima sibi pollicetur. Propterea Agasicles ille rex Lacedæmonius, eorū se discipulum esse velle aiebat, quorum esset & filius.

Quarto, plurimum quoq; ad maiorem bonæ indolis excellentiam conducit: Si artem potius paternam & maternam (quod hic Orpheus facit) ipsi quoq; addiscant (modo natura ab iisdem non abhorreāt) quam alias quascunq;. Hæc enim ipsis quoq; quodammodo natiua est, ad eam potissimum propēdent: ei à teneris quasi vnguiculis sunt innutriti.

Quinto, eodem facit, si diligens illa institutio nō iusto diutius differatur: sed ab ineunte statim ætate, rectè tamen & commodè, suscipiatur: ne videlicet ætas illa, vel supra vires oneretur, vel nimio docentium rigore, odio potius quam amore literarum, imbua-  
 tur. Non enim sine caussa dixit Horatius,  
*Fingit equum tenera docilem ceruice magister  
 Ire viam quam monstrat eques.* ἦθος enim fit  
 (vt Arist. 2 Eth.) *ἦθος γὰρ τὸ ἔθος καὶ οὐ μικρὸν ἀγα-  
 φέρει οὕτως ἢ οὕτως εὐθύς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ  
 πάντοτε, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν.*

Nec dissentit ab Aristotele Plato, cuius in primo



primo de Legibus hæc est sententia, interprete  
 magno illo Serrano. Ita igitur (inquit) statuo,  
 eum qui vir bonus evasurus sit, hoc ipsum à puero  
 statim meditari & excolere debere, ioco ve serio ve:  
 atq; in illis rebus versari, quæ ad eam rem, cui se  
 destinat, aliquo modo conducere videantur. Ex-  
 emplum causa, si quis vel agricola, vel architectus fu-  
 turus est, ludentem oportet pueriles quasdam do-  
 munculas extruere; si agricultura, terra colenda  
 maturè se exercere. Is deniq; qui utrumq; educat,  
 parva quedam instrumenta, verorum instrumen-  
 torum imagines, præparare debet, quibus alumno-  
 rum animos ad res veras sensim assuefaciat. quin  
 etiam ex ijs disciplinis, quæ prius disci debent, tan-  
 quam ad principem artem ministra & famula,  
 quæcunq; sunt necessaria, diligenter sunt ab eo per-  
 discenda; ut qui futurus est faber, discat metiri &  
 amussi rectè uti; qui militaris, equitare ludendo,  
 & similia acitare. deniq; ita conandum est, per  
 iocos eò voluptates & cupiditates puerorum incli-  
 nare, quo & ipsi debent aspirare, atq; ubi eò perue-  
 nerint, ibi conquiescere. Caput nimirum disciplina  
 statuimus rectam educationem, quæ iocantis ani-  
 mum ad amorem maximè illius rei deducet, quam  
 ubi ad virilem ætatem peruenierit, oportuerit esse  
 totius vitæ firmamentum, & muneris sui certum  
 primariumq; robur. Hæc Plato.

22 PRÆCEPTORES NON MUTANDI.

Sexto, cū hic tantū Apollinis & Callio-  
pes, non aliorū Orphei magistrorū fiat men-  
tio; subindicare videtur, in educatione puero-  
rum ingenuorū vnam eādemq; si modò bo-  
na sit, institutionis rationē tenēdam esse, neq;  
præceptores temere mutādos. Mutatio enim  
● illa non immerito mors studiorū à nonnullis  
appellatur, cū quod hic ædificauit, id alter  
subito destruat. Et sicuti plantulæ arborū aut  
herbarum huc illuc translatae nō facile com-  
prehendunt & radices agunt, multò minus  
fructus optatos ferunt: ita ingenium puerile  
quantumuis egregiū, si modo huic, mox ite-  
rum alteri præceptori cōmittatur, ad frugem  
nunquā aut certè sero admodum peruenerit.  
Quod si tamen omnino necessitas aliqua ad  
huiusmodi mutationem parentes adigat; aut  
alias vni puero plures præceptores præfician-  
tur; opera danda est, vt posterior prioris vesti-  
gijs, quantum quidem fieri potest, accuratè  
insistat, eademque via & modo ad scopum &  
metam planè eandem vterque contendant.

Septimo: sicuti in institutione filij Orphei,  
parētis quoq; vtriusq;, Apollinis & Callio-  
pes, mirum consensum fuisse credibile est: ita ille  
quoq; mutuus cōsensus non solum in præce-  
ptoribus, verum in parentibus quoq; quibus-  
cunq;

cunq; magnopere requiritur. Vbi enim parētes ipsi de disciplina & educatione inter se dissentiūt, ibi omnes disciplinæ neruos, maximè si illa dissensio pueris non sit ignota, laxari & flaccescere, & profectū pueritiæ omnē impediri, nimis frequēter ipsa experientia testatur.

Octauo, cum citharæ auro distinctę mentionē faciat Cassius, hoc quoq; videtur quasi ἀνίτην, non parum excitari animorū generosorum industriam, si pulcra & elegantia artis suæ habeant instrumenta, quib. eos qui natura φιλόκαλοι (qualis Xenophon fuisse perhibetur ab Æliano) sunt, magnopere affici certum est. Talia nostris essent chartæ solidæ & candidæ typis elegantibus impressi, & pulcre compacti, auroque distincti libri, thecæ calamarix, & alia ijs non dissimilia.

Nono, cum Apollo pater, & Calliope mater Orphei, in numerū Deorū referantur; tacitè hoc quoq; adumbrari videtur, sine instinctu, commotione & auxilio diuino, nihil hac in parte satis feliciter suscipi aut geri.

Decimo, sub citharæ (id est Musices) mentione, videtur innui, magnam ad mitigandos & comprimendos Iuuentutis affectus & cupiditates, easque in officio retinendas vim esse Musices; id est bonarum doctrinarum &

præceptionum, subinde à fideli aliquo & non facile aut temere ab adolescente quoque remouendo magistro suggestarum. Sine enim his, facile fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Sicuti cum de multis alijs, tum verò etiã de Caracalla Imperatore hoc memorant historici, eum scilicet quã diu sub præceptorum & magistrorum cura & custodia ageret, optimum fuisse: ijs autem remotis, paulatim pessimum & turpissimum factum esse.

*Ἐπιτομή. Quæ in flore ætatis à pueris & adolescentibus ingenuis potissimum fieri oporteat.*

CVM risus mentionem faciat Cassius, quo ab æqualib. & alijs exceptus sit Orpheus, quando studium Musicum primo inciperet, quem tamẽ ipse non flocci fecerit, sed nihilo minus in honesto suo proposito constanter perseuerarit: obliquè monemur, alijs quoque ad doctrinæ aut virtutis præstantiam contentibus, nō defuturos suos quoq; ἐμπαύκτας & irrisores, qui ipsos à laudabili hoc instituto auocare, & aliò mentem ipsorum traducere sint conaturi. id quod apud Herculem quoq; adolescentulum Voluptatem tentasse narrat  
apud

apud Xenophontem Prodicus. Opus igitur hic esse animo cōtra hasce illecebras inuictō, & honesti (vt Flaccus loquitur) propositi tenace, quiq; ita contra huiusmodi insultus sit obfirmatus, vt cum Platone contemptores & derisores sapientiæ, ipse quoq; ex alto iterum contemnere & deridere possit. ⑤

II. Pulsus segnes, digiti serius micantes, καὶ δύσφωνα τῆς ὀπτοῦς, monēt, omnia quarumcunq; artium discendarum principia admodum inassuetis & rudibus difficilia videri; varia obijci impedimenta; neq; initio omnia statim æquè feliciter succedere. Hic igitur animum generosum impatientia laborum minimè frangi, aut molestijs debilitari, aut à laudabili instituto desciscere, sed sperare oportere optima, proponere sibi quam difficillima, & ferre quæcunq; erunt: siue, vt ille ad suum exercitum, *componere mentem Ad magnæ virtutis opus magnosq; labores.*

III. Etiam si antea inter indicia bonæ indolis recitati sint lusus pueriles: tamen in ijs puerum aut adolescentem non perpetuum esse oportet; sed memorem vitæ breuis, & artis longæ, ludum aliquando incidere, eumq; ferijs postponere. Nō enim strenuis, sed ignavis semper sunt feriæ: & homo non ad io-

cum aut ludū, sed ad seria potissimū natus est.

IV. Non varia, sed vnū aliquod studiorū genus animo proponendum est; ita vt non multos, sed vnum hominem agas, vni rei totū te dedas: sicuti hoc loco Orpheus vni Musicae totum se laboresq; suos consecrat.

V. Illa verò meta cum animo semel proposita est, tū eandē labore quoq; assiduo, pertinaci, improbo & indefesso persequi oportet, donec eam assequamur. quod ijs contingere credibile est, qui sunt (vt Græci loquūtur) φίληργοι, φιλόπονοι, φιλακριβείς, καὶ ἀγρυπνοί.

VI. Plurimū refert vt huiuscemodi discipulus, verè sit φιλομαθής ἢ φιλειδήμων, siue etiam φιλόμουσος, qui studia non frigidè tractet, sed eorum (vt Cassius ait) *vero palleseat amore*. atq; is suo quoq; tempore dici poterit, & reuera quoque esse πολυμαθής. In omnib. enim, qui quocunq; in genere ad singularē aliquam laudē & excellentiā contendunt, eiusmodi ardor discendi, & diuinus quidā impetus est necessarius; è quo existit immensa quædā cupiditas, impellens atq; instigans animum ad ea suscipienda, & persequenda, quibus, quæ quis vsq; adeò vehementer concupiuit, adepturū se magno animo sperat. Atq; ideo neq; laborem fugit; neq; aliam curā admittit; neq;  
cogita-

cogitationi actionive alteri locum relinquit: sed dies noctesq; summa cōtentione enititur, vt priori cumulo aliquid adijciat, & bona acquisita, quotidie noua aliqua & non contemnenda accessione augeat. Vbi hoc modo quis est affectus, tum verò *feruet opus; & non sentitur sedulitate labor.* Vbi verò huiusmodi ardore animus vacat, ibi profecto oīa frigere, & nihil laude dignū effici, nemo mirabitur.

VII. In eodē requiritur vt sit φιλόπνευτος, φιλήκοος, & φιλακόλαθος, qui doctiores de dubijs cupidè sciscitetur, eorum sententias libenter audiat, eosque sequatur, non iusto citius, præcurrat; aut ex eorū disciplina ante tempus se proripiat. Eiusmodi enim præcocibus & præproperis, disciplinæque impatientibus ingenijs, idem ferè quod cani Æsopico, carnis vimbæ inhiādo veram carnem amittenti; aut etiam quod rustico illi gallinam auriparam iugulanti, & pro thesauro carbones inuenienti, solet euenire. Eodemque accommodari posset fabella, quæ nuper nobis, de hac ipsa re cogitantibus in mentem venit. Vsitatū est nōnullis in regionibus nisce borealibus, vt media hieme betulas teneriores ex siluis resectas, in hypocausta inferāt, earumq; stipites aquæ imponāt, vt calore & liquore illo asciti.

tio adiutæ, eo citius incipiāt frondescere. Talis igitur betula, subito illo frondium & foliorum honore conspicua, superbè se efferebat, felicemq; se prædicabat, quæ ex solitudine inculta in urbem & cœtum hominum translata esset: contemnebatq; præ se alias betulas & sorores suas, quæ in siluis relictæ, niuibusq; & pruinis obsitæ, quodammodo emortuæ adhuc esse viderentur. Verū cum paucis diebus interiectis, succo illi natiuo deficiente, foliola arefcere, & paulatim defluere sentiret; tum demum, sed frustra, deplorauit, miseræ sibi & radice distitutæ, eo ipso tempore contabescendū esse, quo betulæ illæ siluestres radice integra virescere inciperent & florere. Quæ quidem ipsa fabella, haud scio an quicquam exprimere possit exactius molliculorum illorum ingenia & conditionem, qui disciplinæ Scholarum puerilium impatiētes, ante tempus ex ijs profugiunt, primoq; sibi in libertate illa tantopere expetita mirificè placent: sed paulò post sæpe nimis sero experiuntur, quam malè sibi consuluerint; cum nec prima literarum fundamenta solidè iecerint, nec quidquam ijs cum fructu aliquo insigniori superstruere possint, augeturq; hic dolor, cū breui tempore interiecto videre coguntur, à  
 suis



fuis condiscipulis, sub disciplina puerili olim, tanquam in miseriarum ergastulo, relictis, longissimè se superari, istisq; omnia magis in procliui esse, quam sibi; qui tamen iam pridè eos se anteuertisse, non sine ostentatione quadam, fuerant arbitrati.

*IIIX.* Mutua quoq; συζήτησις, siue sententiarum cum æqualibus, seu potius doctioribus, cupida & mutua collatio; eorundemq; cum honesta æmulatione coniuncta imitatio; suiq; ipsius emēdatio; & eorum quæ paulò ante perperam placuerant, deletio; magnopere hic necessaria est. Sicuti hoc loco Orpheus iam maternis, mox paternis cantibus scribitur inhiare, & vtrinq; discendo proficere. sicuti etiam non desunt, qui scribant, plurimum quoque sub Lino Orphea proficisse. Prodest enim cum bonarum disciplinarum satis solidè iam iacta sunt fundamenta; non ab vno tantum pendere, sed subinde alios quoque, qui eo in genere etiam in remotissimis terris præstantissimi censentur, audire; nostras cum illorum iudicijs sententias conferre; quæ viciosa videntur repudiare; quæ laudabilia & eximia sunt, æmulari; neq; desistere, priusquam eximios illos magistros vel superare, vel æquare, vel si id quoque ita

cito fieri nequeat, saltem ad eos quam proximè accedere queamus. Cicero certè in secundo Officiorum commendat eos adolescentes, qui se ad claros & sapientes viros, bene consulentes reipubl. contulerunt: *quibuscum, inquit, si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerunt ad imitandum.* Maior autem illius æmulationis vis est, si viri illi ad imitandum delecti, sanguinis quoq; vinculo aliquo nobis sint coniuncti, vt hoc loco Orpheo sunt ipsi parentes. Præclarè enim in Sallustij Iugurtha de Q. Maximo & P. Scipione scribitur, eos cum maiorum imagines intuerentur, sensisse sibi animum vehementissimè ad virtutem accendi; non quod cera illa aut figura oris, tantam in se vim haberet; sed quod ex memoria rerum gestarum, ea flamma viris egregijs in pectore cresceret, neq; prius sedaretur, quam virtus maiorum famam & gloriam adæquasset. Magnam autè in vtramq; partem exemplorum huiusmodi vim esse, alibi dictum est prolixius: præsertim nuper ad illud Horatij lib. I, Satyra 4, *insuevit pater optimus hoc me, Vt fugerem exemplis vitiorum quæq; notando, &c.*

τα φευ-

τὰ φακτὰ: seu quæ bonæ indolis pueris & adolescentibus, tanquam impedimenta, potissimum sint fugienda: è quibus etiam nonnulla τῶν τὰ δεκτὰ pertinentia, satis commodè possunt elici; sicuti etiam ἐκ τῶν δεκτῶν τὰ φακτὰ facile quis intellexerit.

I. Inter ea primum est οἴσις, Opinio, seu falsa sciētiae ἀλήθεια, siue eius quod quis nō habet, inanis & mendax persuasio; quæ etiā si nonnunquam (vt Sophocles ait) τῆς ἀληθείας κρατεῖ: tamen veritati, maximè contraria est, & ab eadem tandē denuo superatur. Patrociniatur enim errori & mēdacio, & nascitur ferè ex vanitate & stultitia; & augetur ambitione & arrogātia; pigritiaq; & philautia nutritur: simulq; iuuenes ex humilib. superbos, ex modestis elatos facit: dū nimirū aut ea iam consecutos se esse arbitrātur, quæ nec ætatis, nec studij, neq; etiam vsus & experientia ratione consequi adhuc potuerunt: aut si omnino aliquid eorū consecuti sint; tamen mox veluti omnia adepti, eidem quasi vestigio insistent,

& ad maiora non contēdentes, *iudicio possunt proprio, quia posse videntur, Omnia.* Imperita autem, teste Vegetio, rusticitas credit se scire, quæ nescit. Qui enim scientiæ aut artis cuiuscunq; fatis peritū se esse sibi persuadet; is bono illo imaginario veluti contentus, etiā ea quæ antea tenebat, negligit: qui negligit, facilè obliuiscitur: qui oblit<sup>9</sup> est, parū aut nihil ab ignorante, seu rustico imperito, differt. Quocirca hæc ipsa οἴσις ab vno ex septem sapientibus Biante, non immerito dicta est ἐγκοπή τῆς περικοπῆς. Multi enim ad veram eruditionē, aut aliarum quoque laudum excellentiā peruenirent, nisi iam se peruenisse putarēt. sicuti medici quoque eos periculosissimè laborare credūt, qui morbi sui magnitudinem non intelligunt. Nemo autem tam est doctus, qui se doctiorem non inueniat: nemo tam perfectus, cui non multa adhuc quotidie discenda supersint. Atq; ideo manifestum est, nihil sinceræ laudi & gloriæ magis obstare, quam hanc ipsam præposteram & futilem inanis scientiæ persuasionem. ideoque eam adolescentibus turpem, adultis dedecorofam & noxiam esse vniuersis. Præterquam enim quod alijs nos exosos facit, (non enim de nihilo est illud à Suida recitatum, λίαν φιλῶν ἑαυτὸν,

ἑαυτὸν, οὐχ ἕξεις φίλους) multos quoque in extremam præcipitat perniciem: id quod Poëtæ fabulis Icari, Phaëthontis, Narcissi, Marfyæ, Thamyræ, & aliorum docere voluerunt. Neque ignoravit hoc sapientissimus poëta Menander, qui vitio eodem imbutum sic ab altero quopiam cōpellari voluit: Ἐφ' ᾧ φρονεῖς μέγιστον, ἀπολεί τοῦτόσε, Τὸ δοκεῖν τιν' εἶναι. καὶ γὰρ ἄλλοις μείοις. Nec exigua laus est Catonis apud Sallustium, & Amphiarai apud Æschylum, qui οὐ δοκεῖν ἀεισοί, ἀλλ' εἶναι θελοῦσι. Rectissimum igitur hac in parte, & ad verum profectum accommodatissimum fuerit, se ipsum diligenter excutere, & (quod Ferrariæ tumulo Cœlij Calcagnini inscriptū est) ignorantiam suam non ignorare. Quod Orpheo quoque nostro non incognitum fuit. Nequaquam enim tantas curas & labores in discendo voluisset sustinere, nisi ante omnia inscientiæ suæ probè sibi conscius fuisset.

II. Secundum impedimentū est *ῥαθυμία*, seu pigritia; cuius fortè primo loco mentionem facere præstitisset. Hæc enim initia impedit, sicuti persuasio obstat progressioni. Vocamus autem pigritiam, operis studijq; nobis iniuncti prætermissionem, vel eiusdem negligentem, & perfunctoriam, tantumq; dicis

C

caussa susceptam tractationem. Cui cognatae sunt inertia, nullum omnino studium aut opus sciens aut suscipiens. 2. Desidia, sciens quidem, sed notum & susceptum non vrgens, sed modo has, modo illas exceptiones prætendens, & omnia in crastinum reijciens. Græcè *ὀκνησίαν* diceres. 3. Segnities denique seu ignavia, socordia, incuria, opus susceptum lentè & frigidè administrans & persequens. Quibus omnibus finitimum est otium, vel ignauum; vel curiosum, & polypragmonicum, neglectis proprijs aliena negotia curans. Quæ omnia profecto talia sunt, vt nihil ijs sit turpius, nihil homine libero indignius. Quod si ignauus in officinis opificum non toleratur; si ex numero remigum è naui eijcitur; si neque in exercitu, neque in alio quocunque honesto hominum contubernio locus ei relictus est vllus: quis in ludis literarijs, aut alijs honestarum disciplinarum exercitationi consecratis gymnasijs æquo eum animo pati velit?

Τῶ δὲ θεοὶ νημεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς  
 Ζῶη, κηφίνεσι κεδούροις εἴκελος ὄρμιλῶ,  
 Οἵ τε μελισσῶν κάματον βύχουσι ἀεργοὶ  
 Ἔσθοντες. Impium igitur hoc & infame vitium, maximeq; toti generi mortalium noxium

xiūm, remis & velis fugiant ingenui adole-  
 scentes, memores industriæ apicularum &  
 formicarum, ad quarum contemplationem  
 etiam sapiens Ebræus suos deducit: memo-  
 res dicti eiusdem; *Qui obseruat ventos, non se-  
 minabit; qui obseruat nubes, nunquam metet.* co-  
 gitentq; perinde hoc accipiendum esse, ac  
 si sigillatim de nostro ordine dixisset: Scho-  
 lasticus frigoris impatiens, hibernas lectio-  
 nes nunquam audiet: æstum non ferens,  
 nunquam legendo, scribendo, aut ediscen-  
 do se exercebit: à vigilijs abhorrens, solem  
 matutinum nunquam anteuertet: volupta-  
 ti & delicijs succumbens, conuiuia, & lu-  
 stra honestis laboribus nunquam postpo-  
 net: atque ita miser & contemptus totam  
 ætatem transiget. Quod Cicero quoque  
 confirmat ijs contingere, in quibus nullus  
 est labor, nulla industria, nulla cura. Iidem  
 semper in animo habeant illud Alexandri,  
*μηδὲν ἀναβαλλόμενος*, ne labores & exercitia  
 de die in diem ducant, aut procrastinent. me-  
 minerint quoque quam graui & seria ratio-  
 ne idem Macedonas suos, luxu Persico dif-  
 fluentes, ad veterem frugalitatem & labo-  
 res militares reuocauerit: cūm diceret ὅτι  
*δουλικώτατον μὲν ἔστι τὸ ἰσχυρῶν, τὸ δὲ πενεῶν*

ἀρχαιώτατον, id est maximè seruire esse deli-  
 cijs diffluere; laboribus verò deditum esse,  
 maximè imperatorium. Et memorabile est  
 illud Achillis apud Philostratum (quod opt.  
 & laboriosissimus ille senex Philippus Me-  
 lanchthon non solum in ore habebat, verum  
 moribus quoq; & totius vitæ actionibus con-  
 stanter exprimebat) ἐμὸν ἔγω τὸ πλεῖον τῆς ἔρ-  
 γων. χεῖμασι δὲ πλεονεκτεῖτω ὁ βουλόμενος.  
 Quas ipsas voces verè heroicas quis non au-  
 dire malit, & vera via ad solidam laudē con-  
 tendere; quam Sirenum cantus audiendo, &  
 Circes pocula gustādo, famæ tandem & for-  
 tunarum naufragia pati? certissimum enim  
 est illud Eurip. Οὐδείς γὰρ ὦν ῥάθυμος, εὐκλεῆς  
 ἀνὴρ. Ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτεσι τὴν εὐανδρίαν. Sci-  
 tum quoque est illud antiquitatis ingeniosæ  
 figmentum, quo Bacchum, Herculem & A-  
 pollinem μουσαγέτας (seu musarum duces &  
 præfides) constituere. vt in studijs ardore ani-  
 mi, susceptione & tolerantia laborum, & in-  
 geniorum quoque celeritate opus esse osten-  
 derent. Et non sine causa Aristoteles studio-  
 sos assiduitate venatoribus esse similes vole-  
 bat; qui exiguæ prædæ, & qualiscunque vo-  
 luptatis gratia, quanta incommoda, curas,  
 molestias & labores sustineant, nemo igno-  
 rat.



rat. Cur igitur propter voluptates longè fin-  
 ceriores, & vtilitates longè potiores & nobi-  
 liores, easq; non priuatis, sed publicis potissi-  
 mum emolumentis destinatas, eadem aut  
 maiora etiam non sustineremus? memores  
 scilicet perpetuo, quanta sit floris huius iuue-  
 nilis volubilitas; de quo D. Basilius Maximo,  
 Ἡ νεότης τῆς ψυχῆς ἐπιβάλλων ὁ ζύτερον καταρπεί.

III. Illud ipsum tamen Cassij; *nocturno ex-*  
*somnis oliuo Immoritur*; non ita strictè (quam-  
 uis hanc in partem admodum raro nostri ho-  
 mines peccent) est accipiendum; quasi nulla  
 laboribus studiorum intermissio, nulla re-  
 quies sit interponenda: præsertim cum ipse  
 paulò post somni non planè nullius, sed parci-  
 tantum meminerit. *Non etenim hunc possent*  
*animi perferre laborem*, si diurnis etiam no-  
 cturni labores essent addendi. Acies etiam o-  
 culorum ante tempus hoc modo hebetare-  
 tur, vis ingenij deficeret, læderetur valetudo  
 corporis; quo non satis commodè affecto, a-  
 nimus quoque munia sua obire non potest.  
 sicuti ex aduerso quoque *Valde opus est animo*  
*valeas, ut corpore possis*. Quid autem ad genus  
 mortalium vtilitatis, ab homine ante tempus  
 hoc modo debilitato & fracto, sperari potest?  
 Inuictis igitur & ferreis quasi ingenijs, conti-



nuas illas animi intensiones & meditationes relinquamus. Aristotelis quoque peluim, & lucernam Cleanthis suam laudem obtinere facile patiamur: dum modo nobis, citra iacturam vitæ & valetudinis, sedulo tamen & ferio, honestis studijs inuigilare liceat: ita vt corpori quoque remissio & quies necessaria non denegetur, vt inde ad labores animorum reuertamur alacriores. Et quidem hoc ipsum hominis literati otium, minimè censendum est prorsus otiosum & ignauum. Nam & in eo meditari licet, & inter inambulandum cum amico aut socio de rebus honestis & vtilibus confabulari. Sæpe etiam ex huiuscemodi cum viro erudito sermone maiorem fructum & delectationem capies, quam si aliquot horas ad pulpitem desudares, aut tota volumina manibus contereres: maximè si inambulator ille tuus talis sit, vt Bibliothecæ *Βιβλιοθηκῆς* instar, esse tibi aliquo modo possit. Nocturnum igitur illud Cassij oliuum non tam de lucubrationibus vespertinis, quæ oculis & valetudini plurimum incommodant, quam de matutinis & antelucanis, quæ laboribus literatorum accommodatissimæ sunt, intelligamus. Sicuti enim diem labori, ita  
noctem

noctē quieti ipsa Natura destinavit. id quod volucres, & ex alijs quoque brutis animantibus nonnulla, indicijs fatis illustribus testantur. Non igitur prorsus futilem & irritam arbitremur veteris illius distichi sententiam:

Ἐξ ὧρα μὲν οἱ ἰκανώταται αἱ δὲ μετ' αὐ-  
τάς

Γεμίμασι δεικνύμεθα ΖΗΘΙ λέγουσι βρο-  
τοῖς.

quam ita fortè non incommodè expresseris:

*Sufficiunt operis sex hora: quattuor inde*

*Litterulis constans vocula, VIVE, sonat.*

Qui autem veram viam & modum discendi rectè intelligit & vsurpat; ille, si ceteris quoq; adminiculis non destituatur, paucis istis, aut etiam paucioribus horis plus proficiet; quam alius viæ illius ignarus; quamuis fameis & vigilijs ad pallorem & maciem vsque se excruciet, oliuoq; suo nocturno, vt hic loquitur, prorsus immoriatur.

IV. Quartum impedimentum, quod primo tamen aliquo modo cognatū est, dici posset, esse αὐτάρετον, seu ita sibi ipsi, etiā in viciosis placere, vt in ijs extenuandis & excusandis aliquis sibi blandiri potius, quam ea emendare velit. Contrarium autem facit Orpheus, delens quæ mox laudauerat in se. Quibus

verbis monemur, nihil animo nostro ita arri-  
dere & placere debere, vt id non libentissimè  
repudiemus, si rationibus evidentibus con-  
uicti, ab alijs veriora, certiora & meliora af-  
ferri deprehendamus.

V. Quintum impedimentum est, Venus  
seu amor impurus; qui cum ferè ex ignauia  
nascatur, otioque & luxu nutriatur, (vera e-  
nim sunt illa Menandri: *Ἔρως γὰρ ἀργὸν, καὶ  
πὶ τοῖς ἀργοῖς ἔφου, Φεύγει δὲ μόχθους*: aut etiam  
Ouidij; *Desidiam puer ille sequi solet, odit agen-  
tes: Da vacuæ menti, quo teneatur, opus*) totq;  
curis & vicissitudinibus fit obnoxius; cæcus  
oculis, surdus auribus, imò pudore, probitate,  
metu, sensuq; prorsus omni destitutus; ita vt  
neque consilium, neque modum habeat vl-  
lum; quis eidem in animo adolescentis inge-  
nui, & ad veram virtutis & laudis excellen-  
tiam contendentis, locus poterit esse relictus?  
Quomodo studijs & meditationib. seriò va-  
care is poterit, qui in eadem, cum Plautino  
illo in Cistellaria amoreculo, carnificina ia-  
ctatur, cruciatur, agitur, stimulatur, & ver-  
satur in amoris rotâ miser: qui item exanima-  
tur, fertur, differtur, distrahitur, diripitur, ita  
vt nullam mentem animi habeat: vbi est, ibi  
non sit; vbi non est, ibi sit animus: seu, vt idem  
in Mer-

in Mercatore loquitur, qui nunquam bene queat quiescere; cuius, domi cum est, foris sit animus; cum foris est, animus sit domi. Tantum certè abest vt huiuscemodi quasi turbinem, studijs rerum honestarum, aut artibus quibuscunque addiscendis accommodatum dicamus, vt potius eidem Plautinum illud in Truculento assidue occinendum putemus:

*Non omnis aetas ad perdiscendum sat est*

*Amanti, dum id perdiscat quot pereat modis.*

Quod dum ille facit, interim alij ingenui adolescentes, & ab hac tanta peste adhuc immunes, perpetuo in animo & ore habeant illud Publij, *Lasciua & laus nunquam habent concordiam.* Item hoc Eurip. Οὐδεις ἔπαινος ἠδοναῖς ἐκτίσατο. Aut potius Hesiodicum illud, quod tantopere Cicero commendat Leptæ, Τῆς δ' ἀρετῆς ἰδρᾶτα θεοὶ ἀργάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι, &c.

VI. Sextum impedimentum, & id quidem secundo finitimum, est somnolētia; seu, vt ipse nominat, somnus, frater mortis; siue, vt loquitur Menander, ἀργμελέτησις ἢ μυστήριον τῆς θανάτου, id est *rudimentum & imago mortis*; cui quis vsus aut locus apud gnauos & industrios, maximè si nimius sit, esse possit, aut debeat, non video. Et si in officinis καὶ ἐργαστη-

ejus omnibus verissima cēsentur illa in Plauti Rudente,

*Vigilare decet hominem, qui vult sua temporibus  
Conficere officia; Nam qui dormiunt libenter,  
Sine lucro, & cum malo quiescunt; cur non in  
sapientiæ quoq; & virtutum gymnasijs veris-  
sima esse censeantur?*

VII. Septimum impedimentum est E-  
brietas seu Gula; quam ipse poëticè Lyxi no-  
mine voluit exprimere. quæ cum ingenij, me-  
morix, valetudinis, vitæ, omniumq; hone-  
storum officiorum pestis sit, & sponte quasi  
accescita infania, nihil ea cogitari potest fœ-  
dus, nihil homine ingenuo & sapientiæ stu-  
dio indignius. Quid enim à porcorū grun-  
nitu differre putemus, vocem hanc hominis  
gulosi apud Pomponium, *Ego rumentem parvum  
facio, dum sit rumen qui impleam.* De quo ge-  
nere accurata consideratione dignissimus est  
locus Platonis, in Epistola illa sapientissima  
ad Dionis propinquos, ubi inter alia se in iti-  
nere Italico & Siculo animadvertisse ait, ijs  
in locis homines quotidie bis saturos fieri, &  
noctu nunquam solos cubare. Ex huiusmo-  
di autem moribus, si quis ab ineunte ætate  
ijs innutritus fuerit, confirmat neminem o-  
mnium, qui sub cælo sunt mortalium, quan-  
tumvis

tumuis naturæ bonitate valeat, prudentem  
 aut moderatum euasurum esse. Imo ne qui-  
 dem vnquam laboraturum, vt illis virtutibus  
 aliquãdo ornatur. Nã, vt sapienter & verè ce-  
 cinit. Sat 2, lib. 2 Flaccus noster, *corpus onustum*  
*Hesternis viciis animum quoq; prægrauat ipsum,*  
*Atque affligit humi diuinæ particulam auræ.*  
 Quod ipsum si quotidie & sine fine ac modo  
 fiat vllò, quæ ibi sapientia aut moderatio spe-  
 rari possit? Quin si alterum quoq; à Platone  
 tantopere improbatum, sine intermissione  
 priori accedat, quomodo quis *θεϊότητος*, e-  
 iusq; quæ socijs Vlyssis apud Circen contigit  
 metamorphoseos omnino expers esse possit,  
 non dispicio. Hęc igitur de bonæ indolis im-  
 pedimentis. Iam verba quoq; huius fragmēti  
 examinemus.

V E R B A C A S S I I.

*Heros*] Heroës dictos volunt *ἀπὸ τῆς ἠέρας*,  
 id est à Iunone præside aëris; quasi diceret, vi-  
 ros nō vulgari & cōmuni virtute præditos, aut  
 terre filios; sed aëreos, celestes, diuinos, & quo  
 dāmodo à Deo ipso in mortaliū utilitates exci-  
 tatos, & quasi è cælo demissos, & post obitū  
 in cælū receptos. Vnde mos fuit apud priscos

gentiles, vt huiusmodi Heroës in actione fabularum machina certa per aërem veherentur, veluti Triptolemus, Perseus, Bellerophontes. vnde tritum illud, *ἦρὸς ὑπὸ μηχανῆς*. Heroës etiam in quavis arte & scientia vocabantur, qui in ea vt plurimum excellerent. Vnde Orpheo quoque Musices & Poëtices ratione appellatio hæc merito tributa est, cum ad tantam in ijs excellentiam peruenisse crederetur, vt etiam filuas & saxa mouere posset.

*Heros Rhodopæius*] Ipse Orpheus, à Rhodope monte Thraciæ sic dictus est. fuit enim patria Thrax. Vnde Hebro quoque fluuio Thraciæ hoc epitheton tribuitur. Nec incōcinnè in carmine quoslibet Thraces Rhodopæios dixeris. Montem autem ipsum sic dictum volunt, à quadam regina Thraciæ, eiusdem nominis, ibi vel sepulta; vel, vt alij fabulantur, in hunc montem conuersa.

*Cum primum sumsit plectra*] Pro plectrum, poëticè; pluralis pro singulari; quo nimirum citharæ neruos seu chordas tãgeret. Vox origine Græca est. *πλῆκτρον* enim (à verbo *πλῆκω*, percutere) Græcis quoque penna, vel paxillus, vel calamus huiusmodi erat, quo cithararum fides impulsæ sonum ederent. Vnde  
lingua



lingua quoque hominis eadem voce indica-  
tur, cum plectrum quempiam volubile ha-  
bere dicimus. Sicuti etiam calcaria equitum,  
& nonnullorum animantium aculei siue sti-  
muli, πλῆκτα vocantur. Vnde in Avibus Ari-  
stoph. est πλῆκτον ἀλεξυσόνος.

*Plectra arguta*] Id est canora, resonantia.  
Sicut Virg. in Bucolicis cygnos argutos, & ili-  
cem quoque ac fistulam, & alibi ferram quo-  
que argutam vocat; Ilicem quidem, quæ stri-  
dula & quasi obstrepera esset, & ad venti im-  
pulsus, sibilum aut susurrum quendam te-  
nuem ederet. Nam de cæteris ratio est mani-  
festior. Aliàs *argutum*, in Latina lingua etiam  
significat id, quod aliquid acuminis, leporis,  
aut falis habet: item quod tenue aut subtile  
est; qua significatione etiam non incommo-  
dè de plectro acciperetur. Cicero quadam ad  
Atticum Epistola, quinta nimirum libri v i:  
*Obuias, inquit, mihi literas quam argutissimas de  
omnibus rebus crebrò mittas; tales videlicet, quæ  
etiam tenuia, & minutissima quæque subtili-  
ter & curiosè persequerentur, eorumq; pror-  
sus nihil prætermitterent.* Vnde M. Cælius  
quoque Ciceroni inter alia sic scribit; *Data o-  
pera paravi qui sic omnia persequeretur, ut verear  
ne tibi arguta, nimium hæc sedulitas videatur.*

Vnde *argutie* quoque, siue ἀργυρόματα, id est acutè & subtiliter dicta, appellationem suam sunt consecutæ. Lego autem *arguta*, non *argute*; vt epitheton sit non Calliopes, sed plethri. More enim Græco, propter duas in principio sequentis vocis consonantes, vltimam præcedentis dictionis, quantūvis natura breuem, per positionem voluit producere. quod alij nō considerātes, *argute* legere maluerūt.

*Parentis*] Vel Apollinis, vel Calliopes. ad vtrumq; enim non incommodè retuleris.

*Et Citharam*] Cithara ( quam non per Y, sed per I scribimus; est enim apud Græcos κθάρα, vnde & verbum κθαίρειν) instrumentum est Musicum, nostræ testudini, aut etiam citharæ, lingua patria sic vocatæ, non dissimile. Alias lyram, vt reliquis etiam lyricis poëtis, ita Orpheo quoque tribuunt. Et licèt lyra Mercurij, Cithara Apollinis inuentum scribatur: tamen cum alijs, tum verò ab Horatio quoq; confundi hæ voces videntur; ita vt testudinem quoque pro lyra aut barbiton nunquam accipiat: sicuti Oda 32 lib. 1, quam primo barbiton vocauit, mox etiam vocat testudinem, cum ait, *O decus Phæbi, & dapibus suppremi Grata testudo Iouis*, &c. Ita Ode 3, lib. 4, Musæ suæ testudinem auream, sibi vero lyram

ram tribuit, significatione, vt credo, prorsus eadem. Ita Epod. 14 testudinem tribuit lyrico Anacreonti; sicuti alias quoq; citharam ipsi Apollini. Lucianus autē, in oratione quæ est ad indoctum, qui multos emptitabat libros, de lyra & capite Orphei fabulam non illepidam recitat; quam alicubi Gyraldus his verbis Latinè exponit. *Non intempestiuum, inquit, fuerit si antiquam Lesbiam tibi fabulam narrauero. Quando Thressæ mulieres Orphea discerpserunt, ferunt caput auulsum simul cum Lyra ab Hebro exceptum, in mare delatum vna natasse; & cecinisse, hoc quidem, lamentationem, tanquã ipsi Orpheo funebrem orationem; lyram verò resonasse, ventis chordas impellentibus: atq; ita cum cantu ad Lesbum aduectum: quod susceptum Lesbij sepeliere, ubi nunc est Baccheion apud ipsos: (hoc est, Bacchi oraculum) lyram autem in Apollinis templo suspenderunt; quo modo multo tempore est custodita. Postea verò cum Neanthus Pittaci tyranni filius, lyram ipsam comperisset arbores & feras traxisse, in eius venit habende desiderium: dumq; sacerdotē multis clam oblatis pecunijs corrupisset; eius lyrae similem alterã in templo affixit. Verum cum interdum se in ciuitate parum tuto esse Neanthus existimaret; sinu lyrã recodens, noctu in suburbium proficiscebatur, illamq; manu sumens*

pulsabat; sed, ut erat rudis ac ineruditus adolescens, chordas confundebat, confuseq; & inconditè tractabat; quum bellus, & ipse sibi placens, diuina quaedam cantica ipsa lyra se cantaturum putaret, quibus omnes mulcerentur; seq; inde beatum fore, Orpheæ scilicet heredem Musica. Quæ dum agit, vicini canes eo sonitu exciti, cœuntes, Neanthum infelicem citharædum discerpserunt; ut scilicet vno hoc modo simile quid Orpheo pateretur, & si alia animalia non posset, saltem canes ad se solos alliceret. Quo ipso tempore patuit manifestissimè, non lyram illud esse quo tanto opere alij afficerentur; sed artem & modulationem; quæ duo sola, præ alijs eximia & egregia, à matre Orpheo fuerant concessa. Alias lyra ipsa res erat nihilo alijs barbitis melior aut præstantior. Hæc Lucianus.

*Auro distincta*] A Græcis quoq; poëtis Orpheus χρυσολύρην appellatur; ut in illo Orphei Epitaphio:

Θρήνη χρυσολύρην τῆ δ' Ὀρφέα μούσαι' ἔφασαν. non quod reuera auream lyram haberit; id enim à primæ illius ætatis simplicitate & frugalitate videtur alienius; præsertim cum primam quoque lyram ex duobus cornibus caprinis inter se iunctis formatam fuisse scribant. Sicuti igitur Ouidius prata floribus, &

Cicero

Cicero littora tectis & vrbibus distincta dixit: ita hic citharam auro distinctam eam intelligo, quæ vel lineolis, vel stellulis aureis exornata esset. Vnde etiam à morte Orphei lyra ipsius decem stellis distincta inter sidera relata fingitur; vbi adhuc vnà cū alijs asterismis nocte serena conspicitur.

*Ridebant segnes pulsus*] *Segne* dictum volunt, quasi sine igne, id est frigidum, lentum, aut minimè alacre; vnde frigere dicuntur ea, quæ lentè & ignauè administrantur. Ter. Eunuchus; *Hic homines frigent.* Contra in officina apicularum apud Virgilium *Feruet opus, redolentq; thymo fragrantia mella.*

*Digitosq; micantes serius*] *Micare* est subinde & per interualla resplendere, vt micæ seu puluisculi nonnulli qui in arena instar auri aut argenti fulgorem suum exserunt. Vnde etiam motus quidam tremulus & per interualla conspicuus & sensibilis, eodem verbo significatur. Imo etiam cor & venæ in Latina lingua dicuntur micare. Cic. 2 de Nat. deorum: *Venæ & arteriæ micare non desinunt, quasi quodam igneo motu.* Et in 3 Georg. equus generosus *micat auribus & tremit artus.* Vnde aliquoties apud Ciceronem est *micare digitis*: quo lusus illud genus adhuc Italis vsitatum si-

D

gnificatur, in quo duo certates inter se, vtrinque certo digitorum numero, reliquis compressis, repente extento, voce sonora simul addita, diuinatione assequi contēdunt, eum numerū quem digiti ab vtroq; porrecti coniunctim efficiunt. eumq; numerum qui pronūtiat, victor cēsetur. Quocirca antiqui prorsus certæ & indubitatae fidei homines dignos aiebāt, quibuscū in tenebris micaretur; vtpote qui, etiāsi clam & impune liceret, neminē cuperent fallere. Quod autē digitos Orphei nondū satis exercitatos, serius micasse, seu iusto lōgiorib. interuallis interiectis se mouisse, & chordas citharæ dicit tetigisse, id omnibus, qui nullam adhuc <sup>ἐξ</sup> <sup>iv</sup> quam vocāt, sibi compararūt, eo in genere accidere notum est.

*Et chordis indoctæ dissona vocis*] q. d. vocis a-musæ cum chordis dissonantiam, seu musicę vocalis cum instrumentali dissonantiā. Græcè diceres, τὰ τῆς ὀπῆς δὲς φωνὰ τῶν χορδῶν. Similes autē modi loquendi admodum crebri sunt apud poetas, & historicos Latinos; vt apud Horat. *Acuta belli, Amara curarum.* apud Virg. *opaca locorum.* Item, *ardua terrarum, angusta vel lata viarum; abdita littorum, caua saxorum, deuia sylvarum, summa montium, lata camporum, tuta domorum, strata viarum, &c.*

*Dulcis*

*Dulcis honesti*] Id est honestatis cum sincera & solida voluptate coniunctæ. has enim voluptates βελτίστας καὶ ἀληθεστάτας vocat Aristot. Et verum est illud Isocratis ad Dæmonicū, τὸ εὖ τιτὼ ἀρετῶν φιλοπονεῖν ἀεὶ τὰς τέρψεις εὐλκρινεῖς καὶ βεβαιότερας ἀποδίδοσι. Contrà, actionum & studiorum inhonestorum falsa & minimè durabilia sunt gaudia.

*Perditus incumbens*] Animo nō inconstanti & mutabili, sed honesti propositi tenace, & id ipsum labore improbo & pertinaci urgente.

*Pallebat amore*] Quod signum est veri & ferij amoris. Ita apud Horatium est, *amore argenti pallere.* & apud Propertium, *pallefcere curis.* Causa autem ruboris in pudore, & palloris in metu supra indicata est.

*Inhiat*] Hoc quoq; verbo ardens quoddam desiderium, & cupiditas vehementer ad aliquid aspirans exprimitur. Plautus: *Tuam hereditatē inhiat, quasi esuriens lupo.* *Hiare* proprie est ritu os diducere. Virg. *hunc plausus hiantem corripuit.* *Inhiare* verò, etiam prædæ, seu rei cuiuscunq; expetitæ persecutionē & appetitum acrem exprimit. Horat. *congestis undiq; saccis Indormis inhians.*

*Dependet*] Sc. ex utriusq; auribus, quasi audiendo fatiari non posset, sicuti infans pen-

dens ex vberibus maternis. Est enim pendere aut dependere in hac significatione, nimio rei alicuius desiderio intentum esse, & rebus omnib. relictis, illud vnū sollicitè & seriò agere. Ita Ouid. *Narratis coniux pendet ab ore viri.*

*Nulla Venus faciem cepit* ] Constructio est: nulla Venus mentita faciem compedibus dolosis, cepit videlicet Orphea: id est nulla mulier aut puella, quantumuis formosa & blanda, & quantumuis ad decipiendū & alliciendū amatorem instructa, eoq; nomine compedes & retia venustatis suæ dolosæ expandēs, tantū valuit apud Orpheū, vt eius animū capere aut irretire posset. videturq; hunc Cassij locū respexisse Claudianus, aut saltē non dissimili modo locutus esse, in Stiliconē de luxuria agēs; *Blanda quidē vultu, sed qua non tetrior vlla Interius fucata genas, & amicta dolosis Illecebris, toruos auro circumligat hydros.* Verba autē illa, *faciem mentita dolosis compedibus*, insidias illas meretricias, sub honesta specie latitantes exprimūt; quibus, dum apud amatorem sunt, nihil videtur mundius, nihil suavius, nihil adolescentis amantiū. Sed species illa externa admodum fallax & mendax deprehenditur. Omnia enim eò spectant, vt miser ille seruitutis compedibus irretiatur, & captus,



ptus, in famæ fortunarumque dispendia præcipitetur. Scitum autem est, quod oculis & faciei formosæ ac venustæ retia siue compedes attribuit, quibus incauti capiantur, & constrikti retineantur. *Ὅτι τῶ εἰσορᾶν γὰρ, γίνεται τὸ ἐρᾶν.* Vel, vt elegantissimè Musæus:

*Ὁφθαλμὸς δ' ὁδὸς ἔστιν ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολᾶων  
Ἐλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἔπι φρένας ἀνδρὸς ὀδεύει.*

vel, vt alius quispiam expressius, *Γυναῖκος ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσιν βέλος.* Fugiat igitur, quã fieri potest cautissimè, has compedes; vitet & declinet hæc spicula, qui libertatis & liberarium doctrinarum studiosus est: ne aliquando vulnere iam saucius, aut retibus implicatus, nimis serò & frustra sapere incipiat.

*Parcusq; Lyæi*] Id est Bacchi seu vini, sicut Ceres pro frugibus, Mars pro bello: metonymia poëtis familiari; de qua Plutarchus in libro de Iside sic ferme scribit: *Sicut nos eum qui libros Platonis emit, emere Platonem dicimus; ita illi nomina Deorum liberaliter donis ac operibus Deorum tribuerunt; ob utilitatem ea honorantes, atque exornantes.* Lyæum autem, siue Liberum, volunt dictum Bacchum; vel quod ex intemperanti vini potu sæpe nascantur iurgia, solvantur inter homines amicitia: vel à curarum diminutione, quibus vinum

largius haustum, mortales liberat, earumq; quasi obliuionem inducit: vel quod bibentibus libertatis & dissolutionis causa fit. quo illud Næuij accommodant: *Libera lingua loquimur ludis liberalibus.* In qua etiam sententia est Plutarchus in Sympotiacis, quæstione prima: in qua differitur, Vtrum inter pocula sit philosophandum: interq; alia, hæc quoq; verba leguntur: *Si autem Bacchus verè est Lysius & Liber, ac maximè soluit linguã frenis, libertatemque voci plurimam concedit; stultum ego arbitror esse, intempestiuam velle orationis abundantiam optimis exuere sermonibus, & cum in scholis disputetur de officijs conuiuarum, ac quæsit virtus compotoris, quomodo utendum vino: ex ipsis conuiuijs tollere Philosophiam, tanquam re comprobare, quod verbis docet, non valentem.*

*Modulamine siluas & scopulos]* Quod miraculosa hæc Orpheo affingunt, nimirum quod res immobiles & certo alicui loco perpetuo affixas, veluti siluas, scopulos & arbores, loco mouere: item quod fluuios motu perenni rapidissimos inhibere; & feras quoq; bestias mitigare, & ipsis quoq; manibus apud inferos dolorum & cruciatuum obliuionem inducere potuerit, pleriq; ad vim Musices & eloquentiæ, cum sapientia coniunctæ, referunt.

runt. Vnde Vitruuius de Amphione quoq;  
 cantu, lyræ filuas & saxa trahente, *Non, ait, par  
 est, id ita gestum videri; sed quod affatus suauita-  
 te, homines rupium incolas, & incultis moribus  
 rudes, ad obsequij ciuilibus pellexerit disciplinam.* Et  
 in eadem sententia est Macrobius de concen-  
 tu orbium cælestium disputans, in Somnio  
 Scipionis lib. 11, cap. 111: vbi inter alia ita quo-  
 que scribit: *In hac vita omnis anima Musicis sonis  
 capitur, vt nullum sit tam immitte, tam asperum  
 pectus, quod non oblectamentorum talium tenea-  
 tur affectu.* Hinc existimo & Orphei vel Amphio-  
 nis fabulam: quorum alter animalia ratione ca-  
 rentia, alter saxa quoq; cantibus trahere ferebatur,  
 sumpsisse principium: quia primi forte, gentes vel  
 sinerationis cultu barbaras, vel saxi instar nullo  
 affectu mobiles, ad sensum voluptatis canendo tra-  
 xerunt. Horatius quoq; qui eiusdem fabulæ  
 multoties, & in primis lib. 1 Ode 12, his verbis  
 meminit:

*Aut super Pindo, gelidove in Hæmo;  
 Vnde vocalem temere insecutæ*

*Orphea siluæ,*

*Arte materna lapidos morantem  
 Fluminum lapsus, celeresq; ventos,  
 Blandum & auritas fidibus canoris*

*Ducere quercus:*

D 4

Horatius inquam, eidem fabulæ hoc quasi  
 ἑπιμύθιον tandem subiungit in arte poëtica:

*Siluestres homines sacer interpretisq; Deorum  
 Cædibus & victu fædo deterruit Orpheus;  
 Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosq; leones.  
 Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis  
 Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda*

*Ducere quo vellet, &c.* Existimantur enim  
 Poëtæ in principio rudes hominū agrestium  
 animos, carminis suauitate permulcendo, à  
 barbara atque à feris parum differente vita,  
 ad mitiora studia, & officij humanitatisq; iu-  
 ra excolenda traduxisse. & hoc illud est, quod  
 Cicero quoque ait, Saxa & solitudines voci  
 respondisse, immanesq; sæpe bestias cantu  
 conuersas constitisse. Tum igitur primo vr-  
 bes condi, rationesq; legum & iudiciorum  
 perscribi, hominemq; primum in sui ipsius  
 quasi cognitionem deduci cæpisse arbitran-  
 tur. Imo aliàs quoq; Musicæ honestæ & gra-  
 uis magnam vim esse in hominum affectibus  
 moderandis & in officio continendis, cum  
 alia complura, tum verò in primis illud con-  
 firmat, quod est apud Homerū, etiam à Plu-  
 tarcho in insigni, quem de principe illo Poë-  
 tarum scripsit opusculo, recitatum de Cly-  
 tæmnestra, quam probam & castam tam-  
 diu

diu permansisse ait, quamdiu secum habuit Musicum, quem tanquam morum magistrū uxori Agamemnon adiunxerat; qui videlicet optima ei præciperet. Hoc verò tandem amoto, Ægisthum mulieri adulterium facilimè persuasisse. Sed, ut ad lyram Orphei redeamus, meminit eiusdem Lucianus *ᾠδῶν ἀσρολογίας*, his penè verbis de Orpheo utens: *πηξάμνος γὰρ λύρῳ, ἢ ἐπλάμιτος εὐῶσα, πῶ τῆς κινεομύων ἀτέρων δέμονίῳ συνεβόηετο. ταῦτα Ὀρφῆς διζήμιτος, καὶ ταῦτα ἀνακινέων, πᾶντα ἔτελε, καὶ πᾶντων ἐχεύεεν. Οὐ γὰρ ἐκείνῳ πῶ λύρῳ ἔβλεπεν, ὅσδε οἱ δήλης ἔμελε μουσουργίης, ἀλλ' αὐτῇ Ὀρφείως ἡ μεγάλη λύρη.* Vide etiā que ibidē sequuntur.

*Scopulos*] Scopulus vox origine sua Græca est, apud quos *σκοπέλος* nomen habet ἀπὸ τῆς σκοπῆς, quod speculam denotat. Est enim è scopulis excelsis, commodissimus in mare, & loca circumiacentia, prospectus.

*Radicibus*] Metaphora petita ab arboribus, quæ radicibus, earumq; fibris terræ impactæ, non nisi maxima violentia inde euelluntur. Eadem verò cum firmitas & soliditas sit scopulorum, ijs quoq; sicuti montibus, radices à poëtis attribuuntur.

*Ire viam*] De hoc itinere Orphei ad inferos è quibus dicitur Eurydicen vxorem reuocare voluisse, narrationem integram vide in fine 4 Georg. Virg.

*Mortalibus inconcessam*] Cum de itinere admodum duro, difficili, & paucis peruiro, nec non cum multiplici admiratione coniuncto loquatur, non inconcinnè difficultatē & admirationem illam versu spondaico voluit exprimere; vt Virg. in illis: *Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit. & Æneadas magnos, & nobile Pallanteum*, &c.

*Pœnarum oblitos manes*] De hoc animarum, quæ è corporibus emigrarunt, purgatorio, vt vocant, plura Plato in Phædone, & Virgilius in VI Æneidos, imitans νεκίαν Homeri.

*Non leuis adscensus*] Non enim fit, Terentio quoque id asserente, sine periculo facinus magnum & memorabile. Vnde optimi quique auctores laborem, laborisque constantiam, tanto opere nobis commendant. Vt Pind. Od. 9 Pyth. αὐτὸ μείσις τὰ καλὰ γίνεταί ποιοίς. Et Euripides, Εὐκλείαν ἔλαβον οὐκ ἄνευ πολλῶν πόνων. Quocirca etiam laborem alibi εὐκλείας πατέρα idem nominauit. Sicuti etiam scitè in eandem sententiam dixit Q. Calaber,

Calaber, Οὐ γὰρ ἀνδρωπὶ γε μέλ' ἀνδράσι κῶ-  
δος ἀέξῃ. Et notum est, memoria non indi-  
gnum Epigramma de litera Pythagoræ, cuius  
sententiam crebrò perpendere adolescenti-  
bus non fuerit inutile.

*Nocturno ex somnis oliuo Immoritur*] De ma-  
ximo studij ardore, vigilantia & lucubrationi-  
bus pæne immodicis ita dicere possemus. est  
enim huius locutionis ea vis, ea ἐνέργεια, ut ni-  
hil ei propemodum addi posse videatur. sic e-  
nim ferme crescit oratio; literis dare operam,  
incumbere, inuigilare, impallescere, immori:  
quorum postremum, ἐναποθνήσκειν, omnium  
est vehementissimum. Eodem modo Hora-  
tius de Vulteio nimis ad rem attento dixit,  
*Immoritur studijs, & amore senescit habendi.*

*Delet*] Improbatur, repudiat, sicuti Ter. Eu-  
nucho, *Deleo dehinc omnes ex animo mulieres.*

*Mox*] Hæc particula passim in Latina lin-  
gua idem significat quod Græcis αὐτίκα, id  
est paulò post. Horat. *Cùm segetes occat, tibi  
mox frumenta daturus.* Hic verò idem signifi-  
care videtur quod πάλαι, id est paulò ante: ut  
sit sententia: Improbatur id, in quo paulò ante  
mirificè sibi placuerat. quod certum est in-  
dicium felicitis progressus, & emendationis  
in melius.


*Qui cupit æternæ donari frondis honore*] Id  
est qui cupit æternam sibi gloriam compara-  
re; quæ corona hac quasi amarantina (id est  
nunquam marcescente) significatur.

Et hæc quidem de hoc  
fragmento.


FINIS.


















Ch 464

ULB Halle


3

004 099 729




M









8/3990

CASSII PAR-  
menfis,

POETÆ INTER EPI-  
*cos veteres eximij,*

O R P H E V S.

ET IN EVM

NATHANIS CHYTRÆI

COMMENTARIOLVM, AD  
informandos studiosæ iuuentutis  
mores vtilissimum.



FRANCOFVRDI  
*Apud Joannem Wechelum,*

M D L X X V.

α

